



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

34. De Annali possessore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

Sexto, Dispensat Papa, vt Monachus vel Religiosus vnum beneficium Parochiale habeat. Item vt Clericus secularis obtineat Regulare beneficium: & vt Religiosus certam Religionem professus, regulare habeat beneficium alterius Religionis.

Septimo, Olim concedebatur à Papa, vt quis beneficium haberet in Ecclesia, in qua pater eius obtinebat aliud beneficium, cum hac tamen clausula: (*Dummodo simul non ministrent.*) Sed nunc id seruatur, quod Con. Trid. tradidit nam hæc de re extrat Decretum *Sess. ult. c. 15.*

Octauo, Solet Papa dispensare in gratiam eorum, qui corpore vitati dicuntur: videlicet super defectu oculi, vel alterius membri, ad omnes Ordines, & ad quæcunque beneficia obtinenda: dummodo tamen in oculo raura deformitas non appareat, vt ex ea scandalum & offensio ortiri queat. Quæ quidem clausula sumpta est *exc. 2. de Cleric. agrat. c. 1. c. 2. de Corpore vitati.*

Si is qui petit dispensationem super defectu oculi, vel alterius membri, abest à Curia, Ordinatio loci committitur, vt oculum vel membrum diligenter inspiciat: Si vero adsit in Curia, committitur Referendario, vt defectus grauitatem, aut leuitatem inspiciat, & postea referat.

Nono, Dispensationis gratia confertur Parochialem Ecclesiam adeptis, vel aliud beneficium sacerdotium requirenti, ne sacerdos ad annum fieri cogatur. Imo etiam aliquando ad duos vel plures annos. Olim facile dabantur huiusmodi dispensationes, & multæ etiam prorogationes: at modo denegari solent, nisi legitima causa, studij scilicet literarum, interueniente. In Conc. Trid. *Sess. 7. c. 12. de Reformat.* cautum est, vt facultas de non promouendo præterquam in casibus iure expressis concessæ ad annum tantum suffragentur. Cum autem dictæ dispensationis gratia conceditur, is cui datur, non cogitur Subdiaconatum, vel Diaconatum suscipere intra id temporis spatium, quo dispensatio durat, vt docet *Rebus. in Praxi beneficij par. 3. in formula dispensationis de non promouendo.*

Decimo, Dispensat etiam Papa, vt quis Parochialem Ecclesiam obtinens, si sacerdotium ad annum non suscipiat, Ecclesiam retineat, & fructus beneficij percipiat.

Vndecimo, Dispensat item, vt quis ad Ordines promoueat extra tempora Canonice constituta, & interstitijs item temporum non seruatis. Idem quoque Pontifex non raro dispensationis gratiam Clericis male promotis concedit: Porro ij male promoti censentur, quod ad præsens institutum atinet, qui extra tempora, vel sine interstitijs debitis, vel ante legitimam ætatem, vel excommunicationis, suspensionis, vel interdicti vinculo obstricti, vel sine sui Episcopi & Ordinarij consensu, & litteris dimissorijs, vel per saltum, vel fortim sacros Ordines susceperunt.

Decimosecundo, Dispensationis quoque beneficium Simoniaco, Papa largitur, ei nempe, qui per Simoniam vel Ordines accepit, vel beneficium Ecclesiasticum est consecutus, vt illud retineat, & fructus percipiat: vel vt possit ad beneficia promoueri.

Decimotertio, Olim haud difficile concedebatur cuiquam, ne in sua Ecclesia commorari, & præsens esse cogere, nunc tamen magna tantum & graui ex causa conceditur: vt Decretum Concil. Trid. *Sess. 7. c. 11. c. 23. c. 1. de Reformat.* seruetur: Velut si quis Pontificio concessu, duo possideat beneficia, quæ Incompatibilia iure dicuntur.

Decimoquarto, Indulget etiam Papa interdum Neophyto non solum vt Ordines suscipiat, sed etiam beneficium habeat Ecclesiasticum: vt cum tales sunt alioqui digni, & idonei, vtpote viri probi & honesti, nec litterarum ignari: alijs vero minime id beneficium impeditur. Sed nunquid Pontificiæ dispensationis capax esse potest homo plane rudis, & ignarus, quem Canones & iura illiteratum appellat? Sunt qui negent, ducta ratione à iure diuino, & naturali minime hanc indignitatem ferente, verante scilicet ne istiusmodi homines ad beneficia prouehantur: quippe beneficium propter officium confertur:

atque rudes penitus, ignari & illiterati exequi officium suum & obire non possunt, quo iure igitur isti sacris Ecclesiæ beneficijs potuerunt? at diuinum ius, vel naturale soluere Papa non potest. Secus tamen alij sentiunt, nihil obstaré volentes, quo minus alicui beneficium à Pontifice concedatur cum adiutore satis ad suum munus obeundum idoneo. Equidem ipse non abnuo, iustam aliquando, sed raro admodum, causam posse contingere, vt beneficium plane rudi, & illiterato homini conferatur. Quæ quidem causa data, & casu oblata, quis ambigat iure fieri per Romanum Pontificem, vt quis obtineat beneficium cum assignato sibi quasi collega, & locio fideli, docto atque diligenti, suas qui partes expleat, suoque muneri satisfaciat?

Est & illud dubitabile inter Doctores, nec ea quidem parui quæstio momenti, iure ne Papa cuiquam indulget, vt præficiatur Ecclesiæ Cathedrali, vel Parochiali in loco atque regione, quæ populum habet diuersi idiomatis & linguæ? Certe è Regulus Cancellariæ, vna sic habet: *Item voluit (Sanctissimus Dominus Noster) quod si contingat ipsum alicui persona de Parochiali Ecclesia prouidere, seu mandare prouideri, vel gratiam expectatiuam concedere, nisi dicta persona intelligat, & intelligenter loquatur idioma loci, ubi Ecclesia huiusmodi consistit prouiso, seu mandatum, & gratia desuper quoad Parochialem Ecclesiam, nullius sit roboris & momenti.* Sic Regula. Gomezius *quæstiones prima* videtur innuere, iuris esse diuini & naturalis, ne quis Parochialem Ecclesiam obtineat in loco, vbi populus idiomate vitur, quod ipse non intelligit, nec loqui potest: cum tamen Parocho audiendarum confessionum onus incumbat. Vbi itidem Græco sermone diuina officia fiunt, cuius rationi consentaneum est, vt qui Græce non nouit, Parochiali Ecclesiæ præficiatur: quemadmodum è contrario vbi Latine eadem officia diuina & sacramenta administrantur, qui omnis est Latini sermonis ignarus ac expertus, quo pacto Parochi munia poterit obire? Exempli causa: sunt quædam in Dalmatiâ Cathedrales & Parochiales Ecclesiæ, in quibus diuina peraguntur, Romanorum Pont. concessu Schlaunice quam vocant lingua, ritene atque legitime in hisce Ecclesijs Episcopus instituitur, vel Parocho qui eam linguam penitus ignoret? Non est dubitandum, iure Canonico cautum esse, ne quis ad Ecclesiam Parochialem vniuersi idiomatis deligatur: Sed nihilominus etiam non est ambigendum, Papæ auctoritate, iustam ob causam & honestam, id fieri posse. Nonne in Ecclesijs Dalmatiæ Episcopi creantur, Schlaunice vix linguæ scientes prima elementa: & per alios tamen sua recte exercent ministeria? quibus etiam possunt à Pontifice adiutores dari, assignari Vicarij in eo locutionis genere probe exercitati: Cæterum causa & ratio optima subest præficiendi Ecclesijs eos, qui eam linguam & sermonem probe nouerunt.

CAP. XXXIV.

De Annali possessore.

PRÆTER ea quinque rescripta Pontificiâ hæctenus commemorata & explicata, quibus beneficia conseruantur: sunt etiam duæ Regulæ Cancellariæ, quibus possessores beneficiorum tumentur & seruant se in eorum pacifica & quieta possessione: quarum vna, de Annali, altera de Triennali possessore, nomen sortita est: de quibus singulis breuiter pauca perstringam. Regula de Annali possessore sic habet: *Item Sanctissimus D. N. vt improbiliter exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinauit, quod quicumque beneficium Ecclesiasticum tunc per animum immunitate præcedentem pacifice possessum, & quod certo modo vacare præsentit, deinceps impetrauerit: nomen, gradum, & nobilitatem possessoris eiusdem, & quot annis ipse possedit, & specificam, & determinatam, ex qua clare constare possit, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competat, causam in huiusmodi impetratione exprimere, & infra sex menses ipsum*

possesso.

possessorem ad iudicium vocari facere, causamque ex tunc de
super annuam usque ad sententiam definitivam inclusivè profe-
qui debet & tenetur. Alioquin interpretatio prædicta & que
cumque inde facta, nullius existant firmitatis: Et idem impe-
tratis, de damnis & interestibus possessorum prædictorum propterea
contingentibus facere. Et si possessorem ipsam frivolum ac in-
debitè molestasse repererit extorret, quinquaginta florenis auri
perfoliare. Ca. vera. A possessore sit adstrictus, sine alius quam præ-
missa vacationis modus, etiam per litteras, si neutri, si nulli, aut
subrogationis, vel alias sibi quoad hoc, ut huiusmodi benefici-
um ea vice consequi, vel obtinere valeat, quomodolibet infra
gatur: illudq; nullatenus in iura litigiosum propterea censetur.
Hucusque sunt Regulae verba. Cuius Regulae explanato-
res sunt præter auctorem Glossæ antiquum, Gomezius,
Rebuffus, Mandosius, & quadam ex parte Castellorus, &
Flaminius Parisius libro 3. de Resignationibus beneficiorum,
quæst. 5. Auctor primus huius Regulae fuisse perhibetur
Eugenius IV. quam qui postea succedere Pontifices, pau-
cis quibusdam adiectis servari mandatur.

Circa hæc Regulam, Primo quaeritur, Cur sit condita?
Id patet ex ipsa inter Regulæ initio: [vt improbi, inquit,
conatus & morus lites alijs exquirentium reprimere, etur.
Deinde, vt certior fieret Pontifex de conditione & modo
beneficij, cum ab eo beneficiū, quod alius possidet, impe-
tratur. Ad hæc, ne beneficiorū possessores iniqui vexarentur
Postremo, ne possessiones ipsæ essent dubie & incertæ.

Secundo quaeritur, An hæc Regula potius sit in gratiam
& fauorem annalis possessoris, An vero in odium & pœ-
nam impetrantium inique beneficia annuam possessorum?
Castellorus & Gomezius vident editam fuisse eam
Regulam odio impetrantium, ac proinde restringendam.
Mandosius vero, boni publici causa & Annuam posses-
sorum, afferit institutam, proindeque latissime esse impe-
ditam, sane nihil inquit, quo minus vtrumque eum
iurem & causam iam expedit amplectamur. Gratiam
videlicet Annuam possessorum: & Odium inique bene-
ficia impetrantium: Leges enim & Iura aliquando fau-
ent, & aliquando odium continent comparatione diuer-
sorum. Ecce (vt exemplis agam) Macedonianum Sena-
tusconsultum fauet filijs familias mutuum pecuniam ac-
cipientibus simul & odio'um est creditoribus, mutuum pec-
uniam dantibus illis familias. Velleianum item Sena-
tusconsultum videtur esse factum foeminarum gratia &
fauore, quamvis odium continet eorum, qui eas pro fi-
deiussores accipiunt. Similiter statutum, quo masculi
foeminas excludunt, fauet masculis, estque pro bonis hæ-
reditarijs in familia conservandis, idem que patitur est ip-
sis foeminis odiosum: Ea item lex, qua permittuntur pu-
blice proscripti impune occidi, & fauet communis Republi-
cæ tranquillitati & saluti, & est etiam in odium nefati-
orum hominum: ac proinde qua parte fauet bono publi-
co, ample interpretamur, cum etiam trahatur ad eum, qui
istiusmodi perditos homines interfecerit, pœcunijs ad id
receptis, ac etiam per infidias & prodicionem. Idem prorsus
de hæc Regula iudicandum, nam quatenus Annalibus
possessoribus fauet, plenissimum admittit intellectionem,
ac vero quatenus odiosa est impetrantibus, horum bene-
ficia possessorum ex parte restringit.

Tertio quaeritur, An eo ipso quo quis Annali possessor
titulæ intendit, litigator habeatur iniquus? Gomezius af-
firmat, at Mandosius negat, nisi condemnatus fuerit tan-
quam non seruans præscripta in hac Regula: & hoc videtur
esse vero similis, non enim est iniquus litigator, quod li-
tem intendat, sed quod dictam Regulam in lite non seruet.

Quarto quaeritur, An huic Regulae locus sit in quoli-
bet Beneficio? Afirmat communis sententia, siue bene-
ficio sit curæ animarum annexum, siue simplex, siue di-
gnitas, aut personatus, siue Regularè, siue secularè, siue
Manuale, siue iure patronatus affectum. Sed nunquid ad
beneficium etiam alteri vnitum hæc Regula potest exten-
di? Vt si Titius (gratia exempli) impetret beneficium vni-
tum, & Caio per annum quiete possessum, id vnitum esse

negauerit, etiam potest extendi. Nec obstat beneficium
vnitum, esse suppressum & extinctum, ac proinde amitte-
re beneficij nomen: quia quoad hanc regulam attinet,
satis sit, si sit beneficium vnitum. At contra (dicat aliquis)
Caio possessor vnitū beneficij iuris remedium habet, si
quidem potest excipere contra Titium beneficium esse
vnitum, cuius rei ipse Titius mentionem non fecerit. Re-
spondeo, Caio contra Titium posse duplici se remedio
tutei atque defendere: & Iuris, excipiendo beneficium
esse vnitum: & huius Regulae, excipiendo se per annum
beneficium pacifice possedisse. Deinde quis interroget.
An annalis possessor beneficij referuati firmum sibi ab
hac Regula patrocinium petat? Gomezius & Mandosius
insolutam hanc quaestionem reliquerunt: non temere
tamen quispiam affirmauerit, huic beneficiario Regu-
lam patrocinari. Sufficit enim, beneficium quamuis referua-
tum, anni spatio pacifice ab illo fuisse possessum: nec opus
est, vt annalis possessor sit beneficij capax, & Regula qua-
tenus Annali fauet possessori, ample est interpretanda.

Quinto quaeritur, An hæc Regula defendat Annales
possessores, quamuis ipso iure beneficij priuatos, & prorsus
ad beneficia ineptos: Gomezius quaestione 50. affirmat:
idem vero quaest. 52. negat huius Regulae beneficio Hære-
ticos posse gaudere, quamuis per annum beneficia quiete
possederint. Rursus quaestione 53. excludit à Regula eos, qui
sunt beneficij priuati ob pensiones ab eis minime so-
lutas. Quæst. 54. excipit etiam eos, qui tamen per annum
beneficia sine lite possederint, est tamen notorium eos
titulo carere. Sed ego certe non video, cur Hæretici, &
cæteri omnes ob crimen aliquod ab ipsis admittum, ipso
iure beneficij spoliati se huius Regulae clypeo non tute
defendant ac protegant, excipiendo contra eos, qui ip-
sorum beneficia impetrarunt, se per annum pacifice pos-
sedisse. Nimirum, Annali possessori nullum hæc Regu-
la ius & titulum in beneficio tribuit, nec eum peccato la-
berat, quo beneficium sine titulo possidet: Sed solum dat
ius excipendi contra aduersarium, quod eius beneficium
perierit atque impetrauerit, ijs, quæ in hac Regula præ-
scribuntur, minime seruatis. Vnde Rebuffus loco citato
Glossa 3. contra Gomezium disputans: Si Hæreticus, vel
Simoniacus, inquit, vel alius quilibet beneficiarium impos, vel
beneficio iure ipso priuatus, beneficium per annum possiderit, &
ego velim illud impetrare, necesse est vt exprimam nomen pos-
sessoris gradum, nobilitatem, & quot annis ipse possiderit, &
cetera que præcipiuntur in Regula, alioquin nulla est impetratio.
Non quod Annali possessor hæreticus vllum in beneficio ius ha-
beat, sed quod mea impetratio subreptitia sit, eo quod aliquid
omiserim, quod Regula iubet exprimi. Et Mandosius est: In
Annali possessore longe minor possessio requiritur, quam in tri-
ennali possessore: quoniam in hoc necessarius est titulus, saltem
probabilis, & verisimilis, quem Coloratum appellant: Et opus
est vt ipse possessor sit beneficij capax, ac in illo nec requiri-
tur titulus verus, nec verisimilis, nec vt possessor sit beneficio-
rum compos: sufficit in eo possessio, qua sit velut corporalis rei
detentio, quam possessionem Animam appellant. Et nihil mi-
rum est, quod Regula de Annali possessore, in hoc differat
à Regula de Triennali poss. quoniam hæc vult, hæc qui
per triennium beneficium quiete possiderit, vlla lite vexetur:
hæc vero, ne lis annali possessori non intendatur,
sed ne intendatur, ijs quæ Regula præscribit omittis.

Sexto quaeritur, Quem præsens quam tractamus Regu-
la, pacificum possessorem intelligat? Eum intelligit,
qui beneficium possederit sine lite & controuersia. Clem.
gratia, de rescrip. & glossa in Clem. 1. de sequestra. possessionis,
quamuis glossa in cap. placuit. in verb. Pacificæ 16. quaest. 6.
(pacificæ) exponit, id est, iuridice. Dubitabis, An si annalis
fuerit citatio, pacificus sit possessor? Minime, quia citatio
siue iure tata, siue irrita, sufficit ad hoc, vt iuxta hanc Regu-
lam quis beneficium possidere dicatur cum lite & con-
trouersia: à citatione enim lis inchoatur: tamen vt posses-
sor beneficij re ipsa citetur, neque enim sufficit, si causa litis
& controuersia contra eum sit alicui commissa. Quarta
quispiam

quispiam, An hæc Regula Pacificum possessorem intelligat eum, qui sine lite beneficium possidet, sed fructus non percipit? Negat Gomezius: sed Rebuffus *Glossa 6.* affirmat, & quidem meo iudicio probabilius: sufficit enim, si quis beneficij titulum sine lite possideat, quamvis fructus minime percipiat, ratione aliqua aliunde impeditus, *ut colligitur ex cap. Si propter. de rescript. in sexto. & in cap. si tibi, de præbend. eodem libro.* Quis enim neget, pacifice eum possidere Canonicatum, qui sine vlla lite per vnum, aut duos annos possidet, cum tamen iuxta multarum Ecclesiarum statuta Canonici primo anno, imo etiam secundo fructus non colligant.

Septimo quaeritur, Quo modo hæc Regula accipiat annum, cum dicit, beneficium Ecclesiasticum per annum immediate præcedentem pacifice possessum? Respondeo, accipere annum completum, & inchoandum à die, quo nactus est beneficij possessionem is, cuius beneficium impetratur: & debere quoque annum illum esse continuum, ita ut oporteat possessum esse beneficium sine lite per annum integrum & continuum, qui proxime antecesserit ipsam impetrationem. Non habet igitur locum hæc Regula in eo, qui citra litem beneficium possederit ad sex menses, & deinde post litem ei intentatam idem beneficium alios sex menses habuerit. Sed quid, si ego nulla lite, sex mensibus beneficium possederim, & deinde Titij gratia & fauore dimisi, & ipse Titius resignatarius pari quoque mensium spatio illud quiete possederit? Quod idem est ac quaerere: An hæc Regula iurare resignatarium possit possessione pacifica sex mensium, in qua fuit resignans? Gomezius *question. 34.* affirmat, Rebuffus *glossa 5.* negat, cui non dissentit Mandosius, neque etiam Castellorodorus: quibus ipse magis quoque assentior: nam Regula de vno semper loquitur possessore. Sed opponitur: In electionibus Episcoporum, & similibus, quæ memorantur in *cap. placuit, 15. quest. 3. & cap. cum Ecclesia Sutrina, de causa possessionis & proprietatis, & cap. cum de beneficio, de præbend. in 6.* tempora vnius electionis coniungi cum tempore alterius, & in *l. qui cum cohæred. ff. pro empto.* tempora vsuceptionis ex persona defuncti & hæredis conueniuntur: similiter ad præscriptionem complendam coniunguntur tempora prioris possessoris & posterioris. Sed facilis est responsio: dicimus enim, in his omnibus id valere, quia ita leges & iura voluerunt: at hæc Regula vnum tantum requirit annum possessorem.

Octavo quaeritur, An iuxta hanc Regulam non solum nomen Annalis possessoris, sed etiam cognomen sit exprimentum? Respondeo, *cum Rebuffo, Glossa 9.* exprimi nomen debere, imo si duo pluraue nomina haberet, ea quoque esse exprimentum: nam quod in vno dicitur, in duobus quoque intelligitur. *l. singularia, & l. vinum, ff. si certum petatur.*

Nono quaeritur, Quem gradum Annalis possessoris intelligat Regula? Haud dubie, honorificum gradum litterarum, ad quem beneficiarij promoueri consueverunt, ut si Annalis possessor beneficij sit Doctor, Licentiatus, Baccalaureus in Iure Ciuili, vel Canonico, vel Theologia. Et sufficit ad hoc, ut talis gradus exprimat, si Annalis possessor beneficij prædictum gradum habere publice dicatur: nam iuxta hanc Regulam fama ipsa debet inspicere. Imo si sit publicus Iuris, vel Theologiae professor, exprimi debet tanquam in Iure, vel Theologia ad gradum promotus, tales enim esse consueverunt huiusmodi professores.

Decimo quaeritur, An hæc regula ad eum etiam pertineat, qui beneficium impetrat Motu proprio Romani Pontificis? Gomezius *quest. 10.* negat: quia Motus proprius Pontificis ab omni subreptione, beneficij adeptionem excusat, facitque ut impetratio subsistat, quæ alioqui corrueret. *cap. si Motu proprio, de Præben. in 6. & Clem. si Romani, eodem tit. at Mandosius (cui & ipse subscribo) quest. 49.* locum habere hanc Regulam, affirmat in tali impetrante: Motus enim proprius Pontificis non solet com-

prehendere verisimilia, *ut ait Glossa in cap. 11. verbo, Collatio, de Præben. in 6.* Nec item derogat iuri per alterum quæsito: eo quod non creditur, Pontifex velle alteri ius adimere. Ex quo etiam fit, ut Motus proprius ipsius beneficij iure patrimonij affecta minime contineat. Sed credibile non est, velle Papam huic Regulæ tam vtili & salutari derogare: ergo per Motum proprium Pontificum huic Regulæ minime derogatur, siquidem nec statuta suo Motu proprio Papa tollere censetur, nisi de illis speciale mentionem fecerit: *ut Imola & Felinus in c. constitutus, de rescript. notantur.*

Vndecimo quaeritur, An hæc Regula extra Curiam Romanam coram Ordinarijs locorum seruanda sit? Gomezius *quest. 9.* & Mandosius *quest. 50.* à quibus minime diserepo, negant esse seruandam. Ratio enim, quæ in Regula tangitur, minime in Ordinarijs locum habet, quippe qui plenam cognitionem personarum & beneficiorum habere creduntur: ac proinde non est verisimile, Ordinarium loci ignorare quis sit Annalis possessor beneficij, & quem in eo titulum habeat, & quot annis possederit, cum singulis annis diocesim inuisitare debeat, & Clericorum beneficia possidentium titulos exquirere. *cap. decernimus, 10. quest. 1. c. conquerente, de offic. Ordinarii in 6.* hæc autem nosse Rom. Pont. non creditur, ac proinde necesse est de his ut certior sit ab eo qui beneficium impetrat.

Duodecimo quaeritur, An saltem seruari debeat coram Legato Pontificis in prouincia sibi demandata suum officium obuenti? Gomezius negat: quia idem, inquit, est de Legato, quod de Ordinario loci: sed coram Ordinario seruanda non est, ergo nec coram Legato. Probabilius tamen iudico id quod Rebuffus & Mandosius docuerunt, coram Legato, sicut coram Romano Pontifice, Regulam esse seruandam, ob rationem in ipsa Regula contentam, quæ in Legato similiter atque in Pontifice summo locum habet: cum in beneficijs conferendis, æque facilis error atque deceptio in Legato cadere possit, atque in Pontificem cadat: quare Papa nec plenam notitiam personarum & beneficiorum habere creditur, quam habet, vel habere debet Ordinarius: præsertim cum Regula Cancellariæ de valore Beneficij exprimitur, quæ loco excluditur in ijs, qui impetrant ab Ordinario locum, sed in ijs, qui impetrant à Papa, locum etiam obtinere creditur in consequentibus beneficium à Legatis Apostolicis.

Decimotertio quaeritur, Quid significet Regula illis verbis: (*Specificam & determinatam causam in huiusmodi impetratione exprimeret*) Mandosius inquit, *q. 62.* à quo non dissentio, *specificam causam, appellat singularem & indiuiduam: determinatam vero intelligit certam & claram ab ipso nullo dubio.* Quæres, An satis sit, si Titius impetrans beneficium Caij annalis possessoris, expresserit, ipsum habere nullum ius, nulloque iuris titulo posse defendi, sed temere & facto tantum possidere, & hæcenus possedisse? Affirmat Gomezius satis id esse. Mandosius tamen probabilius negat, quoniam huiusmodi expressio est admodum generalis, quare speciatim exprimentum est in hunc modum: Titius suppliciter orat, ut ipsi conferatur beneficium tale, quod Caius per annum, & duos menses, vel circiter occupatum, & nullo iure suffultus detinuit, & detinet, eo quod per simoniam realem cum Seio commissam illud assecutus est, vel quod in illud se intulit, & intravit: vel quod beneficium Sempronij viuentis obtinuit, licet illinc ad aliquot dies post impetrationem Sempronius obierit, vel inde ad paucos dies matrimonium contraxerit cum Claudia; vel solemnem in Dominicana familia Religionis professionem emisit.

Decimoquarto quaeritur, A quo die computentur sex menses, de quibus in Regula dicitur: (*Et infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium euocari facere*) Respondeo, cum Gomezio, Rebuffo, & Mandosio, computandos esse à die, quos quis impetrauit beneficium à Papa, quod per annum Caius possederat. Si quæras, an impetrans iustum habeat excusationem, quando infra sex menses annum

possel.

possessorem in iudicium vocare commode nequit, quia sitille, vel tam potens, vel ferus, ut nemo ad ipsum citandum audeat accedere? Maxime: nam lis pro contestata habetur, quando per eum stat, ne lis ei intendatur. *l. Si eum. ff. Si quis cautionib.* Ego reus pro citato habetur, quando ipse in causa est, ut non citetur. Par quoque ratio videtur, *teste Gomezio q. 14. & Robuffo Glossa 14.* cum propter bellum, vel aliud simile impedimentum, impetrans Annalem possessorem in iudicium intra sex menses vocare nequit: sed hic tamen temporis terminus Romani Pontificis indulgentia solet prorogari antequam fluxerit; postea enim prorogari non potest. *l. Sed si momento. ff. de Precario.* In Franciæ tamen regno, ut testis est *Robuff. Glossa 14.* sufficit, si impetrans intra annum agat iure possessionis coram iudicibus regijs.

Decimo quinto queritur, à quo tempore computetur annus: dicente Regula: (*Causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè persequi debent*.) Computari debet annus à die, quo impetrans Annalem possessorem, ad iudicium vocavit. Hoc expressim significat illa verba: (*Causamque ex tunc*.) ac ita sen. sille Auditoris in Rota refert *Mandolius qu. 72.* Hunc etiam temporis terminum solet Pontifex prorogare. Regula etiam dicit: (*Ex tunc persequi debent*.) non ait, (*absolvere, & finire*) hoc enim non est in litigantium potestate, sed iudicium. Sufficit igitur, si per impetrantem non steterit, quominus infra annum lis, & controversia dirimatur. Item, culpa etiam vacat impetrans, si intra annum litem prosecutus non sit, vel quia cesserit, vel quia obierit. Ita *Robuff. Glossa 15.*

Decimo sexto queritur, Quid iuris habeat in beneficio Annalis possessor? Respondeo per hanc Regulam ius, & titulum novum non acquirere, sed tantum posse Annali possessione se tueri ad excludendum eum, qui ipsius beneficium impetrauit, eo quod non expresserit ea, quæ in hac Regula præscribuntur, siue ratione possessionis Annalis, siue subreptitiæ impetrationis. Et tunc spectant verba illa Regula: [*Alioquin impetratio prædicta, & quæcumque inde secuta nullius existant firmitatis.*]

Decimo septimo queritur, Quid significant illa verba Regula: (*Nec alius quam præmissa vacationis modus, etiam per litteras, si neutri, & reliqua.*) Respondeo, mentem Pontificis esse: prohibere impetranti, lite pendente, ne alium vacationis modum exprimat per litteras (si neutri: si nulli, subrogationis perinde valere,) aut alias: ita vt post litem contestatam, tales à Pontifice litteræ impetrati non possint, perinde ac si beneficium esset litigiosum.

CAP. XXXV.

De trienniali beneficij possessore.

Regula Cancellariæ de trienniali possessore sic habet: *Item voluit, & ordinavit Dominus noster, quod si quis quæcumque Ecclesiastica beneficia, quæcumque sint ab aliquo simoniacò ingressu ex Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis huiusmodi confirmatione, seu presentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, præmissa, electio, & presentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possiderit, dummodo in beneficijs, si dispositioni Apostolica ex aliqua reservatione generali in corpore Iuris clausa, reservata fuerit, se non intruserit, super huiusmodi beneficijs taliter possessis molestari nequeat: necnon impetrationes de beneficijs ipsijs sic possessis factas, irritas, & inanes censuri debere decrevit: antiquas lites super illis motus penitus extinguendo.* Hactenus Regula. Huius Regula primus auctor fuisse fertur *Callistus III.* quem posteriores deinde Pontifices sunt imitati.

Primo queritur, An hæc Regula solum defendat eos, qui sunt beneficiorum capaces, si per triennium beneficium possiderint? An vero etiam eos, qui non sunt com-

petes beneficiorum? Dux sunt opiniones. *Gomezius q. 2.* spurium triennale possessorem affirmat huius Regula privilegio gaudere, & *quest. 3.* eadem vult Regula defendi feminam munerem, & officio Abbatis, vel Prioris fungentem, quando cumque est dignitas perpetua auctoritate Romani Pontificis in titulum, vel administrationem dari solita. Et *q. 10.* similiter, ait eiuſdem Regula prærogatiua potiri eum, qui Parochialem Ecclesiam adeptus, & intra annum ad sacerdotium minime promotus, per triennium postea possiderit: & eum etiam, qui duo, vel plura beneficia simul obtinet, quæ iure haberi nequeunt. *q. 15.* asserit, Clericum minorem annis quatuordecim, huius Regula exceptione iuvari. Denique Auctor ille concludit, generatim hæc Regula defendi triennale possessorem beneficij, modo titulum verisimilem ac probabilem, quem coloratum appellant, is habeat: *Qualis*, inquit, est ille, qui datur ab eo, cui beneficij conferendi potestas commisit, sine i, cui beneficium conceditur, sit iure beneficiorum capax, siue non sit. *Dubius exceptis, quos ipsa Regula expressit, hominum generibus: simoniacò videlicet beneficij possessore: aut beneficij Papa reservati generali reservatione in corpore Iuris contenta intruso possessore.*

Altera est opinio: per hanc Regulam tantummodo defendi triennale possessorem, habilem tamen, & aptum iuxta Canones ad beneficia obtinenda. Sic *Robuffus de Pædificis possessori. nu. 206. & sequentibus:* & antiquus Glossæ Auctor ita scribens: *Cum in hac Regula dicitur: (Si quis, &c.) intelligere debet de habilibus alioqui iure ad habenda beneficia: quia Iura loquentia de personis, intelliguntur de idoneis. l. Ve gradatim. ff. de numeribus, & honori. &c. Euanthius, dist. 55. Ideo, inquit, si laicus possideret, vel spurium, vel mulier, hæc Regula locum non haberet in eis.* Sic ille. Vnde contra *Gomezium* *Robuffus* infert tanquam absurdum, non solum spurium se huius Regula exceptione iuvare posse per triennium, beneficium sine lite possidentem, sed etiam laicum, feminam, & virum coniugij vinculo adstrictum, Bigamum, Hæreticum, Infamem, pæsum nondum ad legitimam ætatem proeductum, membro, vel corpore vitiatum, vt Canones vocant, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia obstrictum, vel irregularitate affectum. Necnon, & eadem Regula patrocinium afferret Clerico seculari absque legitima auctoritate beneficium Regulare, & Regularis Clericus beneficium seculare per triennium pacifice possidens: Is item, qui beneficium viventi impetratum triennio sine lite possideret, quæ omnia videntur absurda. Præterea, cum lex dicit, (*quicumque*.) vniuersim accipienda est de omni eo, qui aptus scilicet, & habilis est. His accedit, quod cum in lege statuitur, à debitore posse debitum exigi quocumque loco vel tempore: intelligitur, alioqui iure idoneo loco, vel tempore. Postremo, possessio quamvis longissimi temporis, non tribuit ius possessori, alioqui iure beneficij impoti, & inepto. *capit. causam. capit. Accedentes. de præscriptioni. & ibidem Panormitanus & Felinus.* Hanc ego sententiam, vt rationi magis congruentem probō, & amplector.

Secundo queritur, An huius Regula bono frui possint etiam ij, qui non sunt intra annum ad sacerdotium promoti iuxta *c. Licet, & c. Commissa. de elect. in sexto.* Aut qui contra Canones, & Iura, plura simul incompatibilia beneficia possident, contra ea, quæ habentur in *cap. de multis. de præbend. & Extravaganti Ioannis vigesimi secundi. Excerabilis. de præbend.* *Gomezius questione decima* affirmat, *Robuffus* negat. *Nauarrus* patitur in *ca. Accepta. de restit. spoliat. opposit. 8. num. 9. & 10.* magis probare videtur *Gomezij* sententiam: quoniam licet Regula non defendat, nisi iure habiles, & aptos ad beneficia, non continuo inde sequitur, vt excludantur non promoti intra annum ad sacerdotium, aut plura contra Canones beneficia incompatibilia habentes: quia hi alioqui beneficiorum capaces sunt, quamvis iure ipso suis beneficijs priuati, ob sacerdotium intra annum ab eis minime susceptum, vel ob